

Cap. XXXVI. Rubrica de expenssis factis in
causis.

Taliter duximus ordinandum quod in qualibet sententia
proferenda per dominium Tergesti in civilibus victus
victori in expensis legitimis debeat per dominium condemp- 5
nari in taxatione dominii, et victus solvere debeat expensas
victori facta pronuntiatione, videlicet illas tantum quas in
iudicio fecisset et non extra, videlicet in notariis advocatis
procuratoribus instrumentis testibus et nunciis et extimato-
ribus et aliis scripturis. ¶ Et si aliqua questio tam princi- 10
palis vel incide[n]s, de quacunque re fuerit, diffinita fuerit
tam libere quam ab observatione iudicii, vel si interloquendo
pronuntiatum fuerit petitionem non procedere occasione ex-
ceptionum productarum, et post dictam diffinitionem vel dif-
finitiones sic factas actor de novo peteret in iudicio coram 15
216 A dominio Tergesti eandem rem mobilem vel in- // mobilem, de
qua fuerit diffinitum ab observatione iudicii vel per interlo-
cutoriam, reus tali petenti respondere non teneatur in iure
nec ipse actor procedere potest in lite, nisi primo satisfecerit
pro expensis primo factis per reum in questione de qua fuerit 20
diffinitum.

Cap. XXXVII. Rubrica de penis civilibus adpo-
sitis in instrumentis vel preceptis.

A dhuc statuimus quod, si debitor alicuius obligatus in
instrumentis vel preceptis sub pena ad dandum vel 25
solvendum alicui aliquid, solverit partem debiti in termino
statuto ad solvendum, et creditor debitorem molestaverit de
pena contenta in talibus instrumentis vel preceptis ad quam
incursisset, tunc talis debitor condempnari debeat solum modo
pro residuo capitalis debiti quod remanserit ad solvendum 30
pro rata et non ultra, et sic pro rata capitalis debiti et non
pro toto debito, et hoc etiam intelligatur de denariis comunis
Tergesti, et de hiis qui dare tenentur pecuniam comuni Ter-
gesti pro aliquo datio condempnatione vel alia re, et de hiis